✠

CLARISSIMO VIRO D. D. D. MICHAELI *Marta & Mendoza, Sanctæ Ecclesiæ Tirasonensis Maiori Archidiacono, ac Canonico: Ipsius Episcopatus Sedevacante, in Regnis Aragoniæ, Castellæ, ac Nauarræ, Magno, ac Generali Vicario: Academiæ Cæsaraugustanæ Rectori, &c.*

GRatulor mihi, Clarissime Vir, dum Fisci Academiæ partes substineo, Is, (1) qui neque ingenio, neque authoritate sim cum cæteris comparandus, talem, ac tantum Iudicem sortitum fuisse; Clarissimum nempè Vniuersitatis nostræ Principem, Virtutis Regię alumnum, Iustitiæ filium, ac cultorem, qui adscitis sibi, nec sine serenissimus affatibus, lectissimis Viris, (2) quidquid à Me minus fuerit dictum, id facile suppleat & proferat, vt Imperatorum (3) verba mea faciam. Fecisti sane, & Tu V. C. cum, datis ad Me litteris, statũ animi, ac dubitandi rationes, quæ Fisci causam quoquomodo debilitare videntur, limatissimo stylo conscriptas transmisisti, id à Me petens, vt quamquam ab Academia longe disitus, & grauioribus curis, ipsius etiam nomine, iussu, distentus sim, Tibi, quam scitissime iudicium meum rescribam, vt & notando, (4) & disputando, benè, & optima ratione decernas. At Tu his nihil opus, C. V. Ego vero cui obediendi tãtum, gloria relicta est, nec ignorans, Id onerosum mihi (5) consideranti quis, quibus scribam, simulque quam aliter hoc alius iudicare possit; Cum tamen nec fidei meæ, (6) nec constantiæ conveniat deserere causam, quã tot officijs, tot laboribus aliquãdo devinxerim; Acturus videor, è re mea si breuiter, ac dilucide Tuis Dubitationibus respõdeam: Quod nec inficiar aggredi, Mihi enim (7) sat erit ad rem, quam nunc agam, quod qualiscumque in ea fuerim, tamen Iustitia, pro qua loquor, invicta est. Vt hinc iam Interpretationem Epistolicam incipiam, Sacrę paginæ sententiam adorans, dum inquit, Stultum (8) esse ante historiam effluere, in ipsa autem historia succingi.

DVBIVM PRIMVM.

Statuta Almæ Vniuersitatis Augustæ priuationis pœna coercent Doctores, & Magistros ad alicuius Cathedræ fastigium promotos, qui eam venalitijs suffragijs, pactione turpi, aut transactione damnata conquirunt; Flagitia & pœnæ non egrediuntur Auctores; Ergo vltra Doctores Dominicum Perez & Magistrum Ludouicum Abadia, qui de anno 1670. ad duas Philosophiæ Cathedras, ea tempestate vacantes, evecti fuere, alios omnes ad criminale iudicium pulsatos, vel fideiussores, aut socios non arctant, strictæ legis odio, & natura pugnantibus.

Benè, ac sapienter C. V. animo tuo insedit Academię placitum. (9) naturali enim iuri, & politicæ rationi acquiescere indubium est, Dum (10) Cathedras ambientium libidinem, studiosam adipiscendi voluntatem, conquirẽdi nimium studium, feruidum ad summũ earum fastigium ascensum, ac denique venalitatem honorum effrenare satagit. Quid enim tetrius, aut immanius, quam litterarum præmia prodigalitatis præmia conspicere? Quid acerbius, crudeliusve, quam scientiarum documenta quæstui prostituta habere? Quod non modo turpe est, sed sceleratum, & nefarium, vt alibi opportunè diximus: At *Flagitia, & pœnæ*, inquis, *nõ egre-*

diun-

(1) *Cicero in Orat. pro Sexto Rocio.*

(2) *Illustres nempè D. Iosephum à Leyza & Eraso, Illustriss. Dom. Reg. Off. Guber. Arag. Assessorẽ. Et D. Gregorium Xulve, natura tantum ordine iuniorẽ, Inquisitionum pro Regia, ac Catholica Maiestate in Aragonia Iudicem, Regios Consiliarios, Nobilissimos Academiæ sodales, &c.*

(3) *In l. vnic. C. vt quæ deficiant partiũ advocatis.*

(4) *Exemplo Molestini, de quo in l. munerum 18. §. 26. de muneribus, & honorib. ss.*

(5) *S. Bernardus epist. 242.*

(6) *Plinius Iunior lib. 1. epist. 7.*

(7) *S. Augustinus cõtra litteras Petilliani, lib. 3. cap. 11.*

(8) *Machabæorum lib. 2. cap. 2. in fine.*

(9) *Statut. Tit. 25. Condiciones que se requieren para q̃ puedan votar los Estudiants, pag. 48. 49. 50. & 51.*

(10) *D. Alphonsus de Narbona ad leg. 31. Nouæ Compilatio. Gloss. 6. vers. Ni dẽ dadiuas, quem dedimus Alleg. Fisc. 1, disc. 5. n. 174.*

diuntur Auctores, fateor libentiſsimè, *Ergo vltra Doctores Dominicum Perez, & Magiſtrum Ludouicum Abadia, alios omnes ad criminale iudicium pulſatos, vel fideiuſſores, aut ſocios non arctant*. Pace tua negatur, Non enim cæteri omnes ad criminale iudicium pulſati, vltra relatos Dominicum Perez, & Ludouicum Abadia, *fideiuſſores*, tantum, *aut ſocij*, propinquitatem, vel adfinitatem, aut amicitiam, ſeu notitiam, & familiaritatem nudam, cum Reis, citra criminis ſocietatem, vel participatum habentes, quo caſu nemine m pœnæ obnoxium facere oportere (cum (11) pecata ſuos teneat Auctores, nec vlterius progredi metum neceſſe ſit, quam reperitur delictum) Imperatores Arcadius, & Honorius reſcripſerunt; ſed criminis comites, æque præcipui, ac veluti Delictorum partiarij, & coauctores iudicandi ſunt; In his enim, quæ, ex proprijs perſonis, pactionibus hinc inde initis committuntur, vterque principaliter agit: ergo ſi turpes ſint, vterque etiam principaliter turpitudinem concipit, igitur legis pœnam ſubeant omnes, quos (12) reos ſceleris ſocietas facit, neceſſe eſt; quemadmodum inter moras hujus litis ex eiſdem pactionibus, de quibus in præſenti diſceptatur, communi ferè Academici Conſilij calculo dictum, ac iudicatū fuit, adverſus Doctorem Petrum Hieronymum Parras, alterum ex pulſatis ad criminale iudicium, vnà cum dictis Doctoribus Dominico Perez, ac Magiſtro Ludouico Abadia. (13)

Agnoſces forſan V. C. iudicati authoritatem, inſtabis tamen, ideo Doctorem Petrum Hieronymum Parras privationis Cathedræ Sententiā ſubiiſe, quod ipſius perpetuus ambitus, ad alteram ex Philoſophiæ Cathedris, expreſsè legatur in Prima, (14) ac Secunda Scriptura, (15) de quibus in Proceſſu, quod tamē de Doctoribus Ioanne Frāciſco Phelip. (nuper vita functo) ac Ioſepho Luca Caſalete dici nequit, cum ipſorum Cathedræ in dictis ſcripturis non audiantur. Quis vero, neſciat, pro ipſarum etiā cōſeruatione, peſsimum eoſdem cōſiliū cum cæteris inijſſe? Alter enim, & ſi aliquibus Medicinæ Curſibus, nec ſine laude, emenſis, non autem Perpetuus Magiſter, aut ſaltim legitimè declaratus, tūc erat; de Altero id indubium eſt, quamquam melius eſt etiam parcere ipſius cauſæ; Eſt enim (16) putare eos qui deceſſerunt ſanctos pium, abſtinere ab his, qui non extant iuſtum, & ciuile odij tollere æternitatem; et Ii omnes, adverſus quos a Fiſco Cathedrarum privatio expoſtulatur. Igitur dum propria Magiſteria, prohibitis pactionibus firmare curarunt, adiſcitis enim ad Academiā Amicis ſuis, potentior quiſque efici credebatur, Et (17) victoriæ commodum cum ipſo cōmunicari, vt alias ſcitè Venuleius, quid obſtat, quod Id expreſsè in Pactionum tabulis non legatur? Certe nihil, Argumento ſumpto ab Vlpiano I. C. dum inquit, Conſequenter, (18) quæri an, & ille ſocius pro legatario habeatur, cuius nomen in teſtamento ſcriptum non eſt, licet cōmodum ex teſtamento ad vtrumque pertineat, ſi ſocij ſint. Et reſpondit, eſſe verum, non ſolum eum, cuius nomen in teſtamento ſcriptum eſt, legatarium habendum, verum eum quoque, qui nō eſt ſcriptum, ſi eius contemplatione liberatio relicta eſt.

DVBIVM SECVNDVM.

Munera publica, legendi Authoritas, pro roſtris interpretandi Philoſophiā, & pro dignitate Cathedras in proprietate regendi, cernuntur in Statutis præſeruata: ad priuatas collationes, & commiſsiones, quæ paſsim fiunt a Magiſtris ad tempus Bacalaureis, aut quibuſdam Scholæ Candidatis ad iuventutis inſtructionem; trahi non debent: cum nullo iure cautum, imo in Statutis omiſſum detegatur.

Fateor V. C. de privatis commiſsionibus, quæ ad faciliorem, feliciorem que Iubentutis inſtructionem ſolent fieri à Magiſtris, quibuſdam Academiæ Cādidatis, qui *Repaſſantes* appellantur, Statuta nō loqui, ad hoc vt

(11) *In l. 22. C. de pœnis.*

(12) *Argumento eiuſdē l. 22. C. de pœnis, in in qua dubium nititur.*

(13) *Diximus latè Allegat. Fiſc. 1. diſc. 5. a num. 156. omnino vid.*

(14) *Diximus d. alleg. Fiſc. 1. in princ. pag. 12. & diſcur. 5. nu. 156.*

(15) *Diximus ibid. pag. 21. & d. diſcurſ. 5. a num. 156.*

(16) *Plutarchus in Solone.*

(17) *In l. 7. familiæ herciſc. l. 4. §. ſi fundus, ff. ſi ſeruit. vindicet.* ibi: *Itaque de iure quidem ipſo ſinguli experietur, & victoria, & alijs proderit, cum alijs.*

(18) *In l. 3. § 4. de liberat. legat. l. 31. §. fin. de negot. geſt.* ibi: *Vno defendente cauſam communis aquæ ſententia prædio datur, l. ſi communem 10. ff. quemad. ſeruit. amitt.* ibi: *Propter pupillum, & ego viam retineo, cum vulgatis.*

vt eorum ambitus, & fœdissime venalitates grauioribus supplicijs, mul-tētur, cum nec in tota ipsa legislatione noti sint, ni de illis loquātur cuius-dā Statuti verba, in quibus, postquā ipsis Magistris eadem relegēdi obligatio superimponitur, prout, ibi: *Cada Maestro (19) repita la licion las vezes q̄ le parecerà ser necessario para los oyentes, y hagalas repetir en su presencia a algunos de ellos, y despues se pondrà à la puerta, y no dexarà salir à sus discipulos, y les responderà à las dudas que le propusieren, y pareciendole hora entera, entrarà otra vez à hazer platica preguntando sobre la licion, y proponiendo argumentos, y haziendo que vnos con otros discipulos disputen* hæc leguntur, *y à los mas cortos de ingenio enseñaràn los terminos, y principios, con claridad, y sufrimiento encomendandolos à otros discipulos*, vt hinc similium commissionum originem obiter investigasse nō pudeat: Satis verò constat labente tempore, ex generalibus delegationibus, quibus Magistri certis Academiæ Candidatis omnes suos discipulos committere solent, vt illis relegāt, quæ ipsi prius pro rostris explicarunt *Relegentium* munus prodijsse, Ii quam Grati soleant esse Scholasticis, præsertim, ne dum à minoribus Gymnasijs rubentibus, nemo est qui nesciat, adeò enim exquisitis blanditijs ipsorum animos demulcent, ac leniunt, Cū (20) in Tēplis suis pēdeant, & alius numos pronunciet, alius persequêstrem agat, alius eorum manus osculis conterat (quibus nihil iucundius adolescentibus) vt sæpè Doctorum suorū constantem doctrinā fastidētes, relictis limpidissimis fontibus, ad hosce ribulos anxiè diuertantur, & ipsorum suffragijs, qui paulò ante merè discipuli, vel ad summum Candidati dicebantur, iam Coadiutores, & Comagistri audiri cupiant, nec his contenti, Magistris (forsan suis) minitentur, & eorum depositiones moliantur. Hæc mala, quæ in alijs Academijs cessant, in quibus Magistrorum creatio ad curam Magistratuū pertinet, potiùs quàm ad Scholasticorum fauorem, in nostra in dies augentur, & vt propria Magisteria tueantur, de constituendis hisce Relegentibus à primè Magistros esse solicitos, experientia docet; quod tamē in casu nostro nec conuenienti modo actum fuit; Proh dolor! cum iam in his etiā Diū (21) siquidem pòst, emptio, & venditio sera prorupit, & inter Pactiones ipsas se se argentum miscuit, turpe, & miserabile, & quod vilem Academici Consilij mouit, vt vltore Iurisdictionis gladio in criminosos exurgeret, ac serpentem plagam ab Academia longè arceret, commissa mihi procurationis cura; Qui pro suscepto munere libellum edidi, & insertis ad litteram fœdissimis pactionibus, negotij summam patefeci, detectis omnibus, qui se illis infeliciter macularunt. Cum ergo quæ de priuatis hisce delegationibus in dictis Scripturis leguntur, non aliò tendant, quàm vt Petitiones ordinariæ Magisteriorum ablegentur, (22) vel certè difficiliores reddantur, (23) aut quæstui vilissimo prostiutæ remaneāt. (24) Nec leges (25) aut Senatus Consulta, ita scribi possint, vt omnes casus, qui quandoque inciderint comprehendantur, Cum (26) in aliquo casu eorum sententia manifesta est, Is qui iurisdictioni præest ad similia procedere debet. Cæterum, quantæ (27) audaciæ, quantæ temeritatis sint huiusmodi factiones, sicuti nemo est qui nesciat, Ita Ne (28) diutius, eorum praua admodum, venalisque perfidia, impunè in publica commodà deseviat, meritò censemus, in eos etiam pro competenti vltione debere consurgi.

(19) *Statut. Tit. 35. de los Carhedraticos de Artes, fol. 64.*

(20) *Seneca ad Lucillū epist. 118.*

(21) *Plutarchus in vita Coriolani.*

(22) *Vt in Tertia Script. Pact. 2. Alleg. Fisc. pag. 23. in princip. omnin. vid.*

(23) *Vt in Prima Script. Pact. 1. 3. & 4. Alleg. Fisc. pag. 13. & 14. in princip. non prætermit.*

(24) *Vt in Tribus Scriptis allatis Alleg. Fisc. in princip. à pag. 12 ad 27.*

(25) *Iulianus in l. 10. ff. de legibus.*

(26) *Idem in l. 12. ff. eodem.*

(27) *L. 12. C. de pub. vectig. & commiss.*

(28) *L. 21. C. de Pœnis.*

DVBIVM TERTIVM.

Declaratio supplicata, priuationis perpetuæ per Procuratorem Fiscalem Vniuersitatis, honoris, graduum, & aliarum facultatum expectatiuæ, nequit decerni, cum hæc tantummodo comminentur in casu recursus, & appellationis ad Suprema Tribunalia Regni siuè sæcularia siuè Ecclesiastica ab hijs, quæ Rector Illustris, & Claustrum indicauerint opportuna; ergo in dubium est, quod primum pronunciaō

ciationis arrestum, subire non potest censuram tam acrem, sequenti solum iudicii præscriptam.

Ambitus immane nefas, non solum priuationis pœna, verum, & grauioribus alijs supplicijs semper mulctatum ex Romanorum iure; (29) ex Regio Hispano, (30) ac nostro (31) fusè demonstrauimus, at non *perpetua* in quis, & secundum leges nostras Magisterij tantum non vero *honoris gradum, & aliarum facultatum expectatiuæ*, quæ, vt acriora contumacibus tantum, ac iudicio Academiæ non acquiescentibus imponuntur: Verum enim vero, Et (32) ita Statutum se habet, sed magis sentio, Cum enim (33) bono, & graui Præsidi congruat curare, vt pacata, atque quieta sit Prouincia quam regit, Eumque Nova (34) morborum genera noua quærere cogant medicamentorum experimenta, Nec (35) calumnijs hominum indulgendum sit; Igitur non videtur, nimis properè, vel inoportunè, non tantum priuationis perpetuæ pœna, verum, & grauioribus alijs (quibus tamen cordatissimi quique Legislatores (36) in similibus casibus visi sunt) affici Reos, Fisci Patronum voluisse. Vt (37) quos diuinus timor a malo non vocat, temporalis saltim pœna cohibeat; maximè cum neque E. Statuti nostri vervis repugnet, aut inciuile dici posit, Nam (38) vt ait Pedius quotiès lege aliquid vnum, vel alterum introductum est, bona occasio est, cætera quæ tendunt ad eandem vtilitatem vel interpretatione, vel certè *Iurisdictione* suppleri. Tu V. C. in his, ac similibus casibus, Iurisdicendi in Academia Princeps, & Arbiter, vt ex Officij tui formula nullus est, qui non videat. Illis vervis: *Estatuimos,* (39) *y ordenamos, que el Rector de la Vniuersidad sea el Superior de los Graduados, de los Estudiantes matriculados, Oficiales y Ministros de la Vniuersidad, que tenga sobre todos los de ella jurisdicion ciuil, &c. Y assimismo tenga el dicho Rector jurisdicion criminal entre todas las sobredichas personas, y qualesquiere dellas, para coercerles, compelerles, y apremiarles al cumplimiento de los casos, y cosas, en que como tales Graduados, Estudiantes, Oficiales, y Ministros delinquieren, ò faltaren en su obligacion:* Quamobrem (40) (quoniam communis hæc vtilitas, omnibus est Academiæ sodalibus) fiant quædã a Tua Eminentia hinc præcepta, cunctis declarantia legis virtutem, vt Imperator Iustinianus Augustus, Ioanni Gloriosissimo Sacrorum per Orientem prætoriorum Præfecto, rescripsit.

Hæc sunt C. V. quæ dum aliæ, & aliæ Epistolæ, vrgente Tabellario, côcipiuntur, tenuis nostra Minerva potuit excogitare, ac Tuis intenta votis exprimere; sed breuiter omnia, & transcursim, nec alio ad manũ Authore, quàm Clarissimo Gotofredo ad Ius Iustinianeum, qui mihi tantum pro Bibliotheca a propria exulanti; Cæterum cum nec locus pateat, ea quę scripta sunt, relegendi quanto minus emendãdi, vel certè excusandi, vnum tantum hoc loco addam, quod ante omnia cupio, vt Valeas. Mantuæ Carpentan. 4. Kalendi. August. A. D. 1673.

Tui studiosissimus, deuotissimus.

Ioannes Ludouicus Lopez,
F. V. A.

(29) *Diximus Allegat. Fisc 1. Discurs. vltim. à 227.*

(30) *Diximus Allegat. Fisc. 1. discurs. 3. à num. 107.*

(31) *Diximus ibidem n. 114.*

(32) *Exemplo Scæuolæ in l. 10. ff. de Collat. bonor.*

(33) *Vt in l. 13. ff. de offic. Præsid.*

(34) *S. Augustinus epist. 50. ad Bonifac. Hincmarus epist. 7. cap. 14.*

(35) *L. in fundo; ff. de rei iudic.*

(36) *Vt in Allegat. Fisc. 1. Discurs. 3 à num. 107. & Discurs. 5. à n. 225. Vbi grauiora quam in Fisci libello, cauta legũtur*

(37) *Vt in Decretal. Clericorum, de vita, & honest. Cleric. cap. cũ qui, de Præbend. in 6.*

(38) *Apud Vlpianum in l. 13. ff. de legib.*

(39) *Statut. Tit. 5. del Oficio, y jurisdicion del Rector, pag. 22.*

(40) *Novell. Constit. 1. in fine.*